Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3151
Quelle:
Copyright:

moso, *el morir es ganancioso*, quod ad nostrum *Morir Convient* accedit.

DCCCCX.

969 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 299. 8. luculente scriptus, literis initiorum, et marginibus multis auro, variaque pictura speciosis, et praeter complures Icunculas, sive Literas historiatas Iconibus grandibus XXIII. a penicillo commendandis insignis diversa continet Pietatis Exercitia, quorum en Elenchum: *Calendarium* tam Signa Zodiaci, quam Georgica praeferens, in quo Coelites in *Belgio* praecipue culti miniati non pauci, unde *Codicis* patriam agnoscas. Oratio ad faciem Christi *fol.* 13. p. 2. eleganter depictam. Horae de S. Trinitate, pro Defunctis, de S. Spiritu, de omnibus SS. de Corpore Christi, de Cruce, de Beata. Initia Evangeliorum. Preces variae proprii ingenii. Psalmi *Poenitentiales* cum Litaniis SS. Rosarium B. V. M. Iterum Preces et Commemorationes Divorum variae. Psalmi dicti de Passione Domini, et Psalterium *Hieronymo* adscriptum. Εξγοδιωκτην *Codicis* censeo aliquem Virum Ordinis S. *Jobannis Hierosol. Fol.* enim 17. in margine depictum pendet hujus Ordinis Scutum, et Vir habitu rubro cruce alba insignito precabundus prominet. At *fol.* 43. p. 2. hic idem Vir eodem habitu, loricatus, calcaratusque, adstituta galea e manu Sacerdotis corpus Domini suscipit de genibus. Illud tamen insolentius, Crucem illam albam rursum Scutulis rubris cruciatis insignitam esse. Ut semel dicam; Sanctorum Effigies in hujus modi *Horariis*, Librisque precatoriis obviae, quod nomina adscripta habent, lucem adferre multis Tabulis ἀνωνυμοις in Principum, Optimatiumque Collectionibus adservatis possunt, quae e solis Adtributis difficilius dignoscuntur.

DCCCCXI.

Codex chartaceus lat. Sec. 780
XV. Folior. 132. 8. nitide scriptus et rubricis varius sacras *Precationes* continet initio sumto a *Psalterio*, cui praefixus Hymnus: *Nocte surgentes vigilemus omnes semper in psalmis* &c. Psalmis omnibus adspersae sunt Glossulae *bohemicae*. Ita Psalmo 1. *abiit* wsſed. *in consilio impiorum* wradie nemiloſtnich. *in kathedra* a naſtolicy. *pestilentie* moru &c. *Psalterium* excipiunt *fol.* 94. *Cantica* Biblica omisso *Magnificat*, Hymnus *Ambros.* Symbolum dictum *Athanasii*, Litaniae OO. SS. in quibus *Venceslaus*, *Adalbertus* et *Ludmilla*, Hymni ex Horis Canonicis, Orationesque variae, tum *Lectionarium*, iterumque piae Preces, quas inter Hymnus: *Jesu dulcis memoria* &c. D. *Bernardo* tribui solitus. Preces omnes solidam pietatem spirant.

DCCCCXII.